

Bartholus, et Paulus de Castro in l. *Si quis nec causam*, § 1. ff. *Si certum petatur*, per illum textum dicentes, attendi debere id propter quod principaliter factum est statutum. Covarruvias, Sanchez, loc. cit. et alii. Sicut in simili, an contractus, sive obligatio ex eo proveniens, sit iudicanda personalis, vel realis, inspiciendum esse, non quid accessorie, sed quid principaliter actum sit, passim notant doctores; idque desumitur ex l. *Rogasti*, et l. *Si quis nec causam*, ff. *Si certum petatur*.

441. *In dubio de principali intentione constitutionis, magis attenditur favor, quam odium.* — Resp. III. Quando non apparet, an principaliter constitutio sit facta propter favorem, an vero propter odium, tunc magis attenditur favor, quam odium. Ita Abbas cit. c. *Non dubium*, nu. 3. juncta addit. y. *Favor*. Ratio est: quia «semper in dubiis benigniora præferenda sunt», l. *Semper*, 57. ff. *de Reg. jur.* eum similibus: sicque in tali casu, ubi odium a favore separari nequit, haud immerito non fit stricta interpretatio.

442. *Leges penales cur non censeantur favorabiles, licet respiciant bonum commune?* — Objicies contra prædicta claritatis gratia. Ex dictis, videtur sequi, quod omnes leges etiam penales, et scelera punientes, sint censendæ favorabiles: atqui hoc videtur absurdum; ergo. Prob. seq. Omnes leges, etiam penales, principaliter respiciunt favorem, seu commune bonum reipublicæ utpote cujus interest, ne crimina remaneant impunita, c. *Ut famæ*, 35, *de Sentent. excomm.* cum concordantiis: atqui lex, quæ principaliter respicit favorem, censetur favorabilis; ergo. Resp. neg. seq. cum majori suæ probationis. Licet enim leges penales respiciant bonum commune reipublicæ, in quantum ad hoc ultimate tendunt, ac propter illud procurandum crimina puniant (sic enim bonum commune respicere, convenit quibusvis legibus, can. *Erit autem lex*, dist. 4), nihilominus earum finis primarius, et principaliter intentus, non est bonum commune reipublicæ, sed punitio criminum, utpote quæ ab illis per se intenditur, et adhibetur veluti medium aptum ad consequendum bonum reipublicæ, secundario, remote, et consecutive simul intentum. Et hinc leges penales, quæ tales sunt odiosæ, et strictæ interpretationis, sicque regulariter requirunt crimen ipso opere consummatum, et cum effectu.

443. *In ipsis debet separari favor ab odio;*

idque exemplificatur. — Solum adde, quod si aliqua ratione in legibus penales possit favor separari ab odio, oporteat, ut hinc stricte, illinc late interpretentur. Prout v. g. can. *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4, ex parte juræ strictæ accipitur, videlicet pro reali manuum injectione in clericos opere consummata, et non verbali tantum; ex parte personarum autem, in quorum favorem canon ille statutus fuit, interpretatur large, ut etiam monachos conversos, moniales; imo et novitios, comprehendat. Covarruvias, cit. resol. 14, n. 5, et alii.

444. *XV. In beneficiis plenissima est interpretatio faciendæ.* — Regula XV. In beneficiis plenissima est interpretatio faciendæ. Habetur clare in c. *Cum dilecti, de Donat.* ibi: «In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio faciendæ.» Et c. *Olim, de Verb. signif.*, ibi: «Cum beneficia principum sint interpretanda largissime,» cum concordantiis hic a Glossa relatis.

445. *Beneficium in communi, quid et quomodo dividatur.* — Intellige istud cum Fagnano in cit. cap. *Olim*, n. 4, et seqq. de beneficio stricte sumpto, ac prout contradistinguitur a privilegio, quod est contra jus commune; et rescripto, quod est secundum jus commune. *Beneficium* siquidem in communi, ac ut genus est, aliud non est, quam benevola actio tribuens gaudium cupientibus. Et dividitur in *beneficium* proprie, seu stricte sumptum, quod est benevola actio, sive liberalitas quædam concessa sine alterius præjudicio præter jus commune: ac in *Privilegium* quod est benevola actio concessa contra jus commune: et in *Rescriptum*, quod est benevola actio concessa secundum jus commune. Impetratur enim rescriptum, præsertim justitiæ, ad juris observantiam, ut impetranti fiat justitia: et hinc rescripta contra jus elicta non valent, can. *Rescripta*, 25 q. 2. et suo loco amplius dicetur.

446. *Regula procedit in beneficiis stricte sumptis.* — Itaque allata regula est intelligenda de beneficio proprie, seu stricte sumpto, nempe quando aliquid conceditur ex liberalitate concedentis, non ad præjudicium alterius, vel juris, sed vel ad nullius, vel ad præjudicium concedentis tantum. Et hoc modo beneficium contra concedentem est plenissime interpretandum: quia si voluisset concedens, potuisset expressisse, ac quidpiam excepisse, ut notatur in c. *Quia*

circa de privileg. ibi: «Cum nihil exceperit, et potuerit excepisse; ac in beneficiis, plenissima sit interpretatio adhibenda.»

447. *Fallit tamen in rescriptis ad beneficia ecclesiastica.* — Excipe tamen rescripta ad beneficia ecclesiastica obtinenda, quæ sunt strictæ interpretationis, text. c. *Quamvis, de Præbend.* in 6. ibi: «Quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio faciendæ: litteræ tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi.» Hujus exemplum habetur in c. *Cui de non*, 27, eod. in 6, ubi cum mandatur cuiquam non sacerdotalis, vel integra, aut certi valoris conferri præbenda; virtute talis mandati apostolici (cujus fines diligenter observari oportet) non potest eidem, etiam volenti, conferri præbenda sacerdotalis, vel dimidia, aut aliqua minoris valoris.

448. *De aliis regulis. Remissive.* — Præter hactenus allatas, aliæ plures possent adduci regulæ circa interpretationem constitutionum ecclesiasticarum, legum civilium, et statutorum particularium locorum, aliorumque dispositionum observandæ; de quibus fuisse card. Tachus, Barbosa aliique passim. Verum præmissæ sunt cæteris usu frequentiores, magisque scitu necessariae, ac proinde non immerito specialiter declaratæ, cæteris ad propria loca remissis, ac præsertim ad titulum, *de Regulis juris*, inscriptum.

§ XVIII.

DE DISPENSATIONE LEGUM, SIVE CONSTITUTIONUM.

449. *Dispensatio, quid?* — Queritur I. Quid sit dispensatio? Resp. I. *Dispensatio* est juris communis relaxatio, facta cum causæ cognitione ab eo, qui jus habet dispensandi. Ita Glossa in can. *Requisitis*, 1. q. 7. y. *Ut plerisque*; Angelus, y. *Dispensatio*, et alii. Quæ quidem definitio convenit non solum dispensationi factæ in jure communi canonico, vel Cæsareo, sed etiam in legibus municipalibus; imo etiam illi dispensationi, quæ fit per ipsum principem, seu legislatorem in lege propria. Et ratio est, tum quia leges quoque municipales communem civium utilitatem, sicque jus aliquod pluribus communem respiciunt; adeoque dispensatio in ipsis, suo modo recte dicitur *Relaxatio* alicujus juris communis; tum quia princeps sine causa dispensans peccat, adeoque et ipso dispensaturus procedere debet cum causæ cognitione, ne

peccati periculum, ac reatum incurrat.

450. *Facta sine causa, dissipatio est, non dispensatio.* — Dicitur notanter, «cum causæ cognitione.» Nam, ut inquit sanctus Bernardus, lib. III. *de Considerat.*, paulo ante finem, allegans verba Divi Apostoli, I *Corinth.* IV, 2. *Queritur inter dispensatores, ut fidelis, quis inveniatur.* «Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.»

451. *Dispensatio est vulnus juris, ac proinde stricte accipiendæ.* — Resp. II. *Dispensatio* recte vocatur *vulnus juris*, quia per eam jus commune vulneratur, can. *Ipsa pietas*, 23. q. 4. ac notat Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 33, n. 7, et Fagnanus, c. *Cum in cunctis*, n. 36, *de Election.* Et hinc, quia omnis recessus a jure censetur odiosus, etiam dispensationes sunt odiosæ, ac stricte accipiendæ, cap. I, § fin. *de Filiis presbyt.*, in 6. Atque idcirco in eis non valet argumentum a majori ad minus, vel ad simile. Barbosa, loc. cit., num. 10, cum pluribus aliis, quos citat, et Fagnanus, in c. *Quia in tantum*, num. 20, *de Præbend.* post Hostiensium in c. *Postulasti*, num. 12, *de Rescript.* Quamvis bene extendantur ad accessoria, connexa, vel necessario consecutiva ex eo, super quo est dispensatum, juxta Glossam can. *Si quis in clero*, 7. q. 1. y. *Solemnius*, ubi observat, quod dispensatus super pluralitate beneficiorum, censeatur etiam esse dispensatus super residentia. Concordat Glossa c. *Quia in tantum*, y. *Plures*, et ibi Abbas num. 3. et Fagnanus, num. 23, *de Præbend.*; Barbosa, ubi supra, n. 8, et alii.

452. *Potestas dispensandi e contra est favorabilis, et late interpretanda.* — Nec obstat, quod potestas dispensandi, quæ nulli est præjudicialis, nisi ipsi concedenti, sit favorabilis, et late interpretanda. Resp. enim disparitatem esse inter dispensationem et potestatem dispensandi: etenim dispensationes sunt vulnus juris, eique afferunt præjudicium aliquod; dicta autem potestas dispensandi est merum beneficium principis, ac proinde latissime interpretanda, arg. c. *Mandato*, 46, juncta Glossa l. *de Simonia*, et notat ibidem Abbas Panormit. n. 3, et 5. ac Fagnanus, n. 33, allegans communem.

453. *Quomodo hæc nulli sit præjudicialis, nisi concedenti.* — Verum hæc ipsum procedit

dumtaxat de potestate dispensandi, quæ nulli est præjudicialis, nisi concedenti, ut dictum. Siquidem potestas dispensandi, quando agitur de præjudicio alterius, quam ipsius principis ipsam concedentis, etiam est odiosa et restringenda. Fagnanus d. c. *Mandato*, n. 37, citans alios; Felinus in c. *Postulasti*, num. 11, § *Secundus casus. de Rescript.* post Butrium in c. *Per venerabilem*, num. 13, *Qui filii sint legit.*, ubi hoc exemplificat de eo, cui simpliciter concessa fuit potestas legitimandi spurios et incestuosos; et concludit, quod talis vis dictæ potestatis non possit legitimare spurium et incestuosum simul, quando illa legitimatio præjudicat tertio: si autem nemini præjudicet, possit ipsum legitimare.

454. *Notabilis objectio, probans, in dispensatione valere argumentum a majori ad minus dissolvitur.* — Dices. Argumentum a majori ad minus procedit etiam in dispensationibus; ergo. Antecedens probatur per textum notabilem in c. *Per venerabilem*, § 1. *Qui filii sint legitimi*, ubi ex eo, quod Papa cum quibusdam illegitimis dispensaverit, ut potuerint in episcopos promoveri, inferitur, quod eos etiam ad actus legitimare valeat sæculares: nam (subdit textus) « quod in majori conceditur, licitum esse videtur et in minori. » Nec juvat, si dicatur istud procedere de facultate dispensandi, quæ est favorabilis; non autem de ipsa dispensatione, quæ, veluti odiosa, est strictæ interpretationis. Nam contra est: quia de ipsamet dispensatione loquendo, conceditur ibidem expresse argumentum a majori ad minus; dum paulo inferius § *Præterea*, in hæc verba subjungitur: « Unde cum in spiritualibus dispensetur, consequenter intelligitur in temporalibus dispensatum. » Resp. negando antecedens. Ad citatum textum, dimissis aliorum responsionibus, breviter dicitur ipsum continere solummodo allegationem partis, non vero dispositionem juris: nam, ut recte notat Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 45, num. 16, et patet attentius legenti litteram, verba illa, quæ continent dictum argumentum a majori ad minus in materia dispensationum, non sunt ipsius Papæ, sed partis, petentis temporalem etiam filii sui legitimationem: quæ quidem, ut sibi proposita, Pontifex refert, sed non sequitur, neque petitam dispensationem seu legitimationem concedit. Unde hinc nihil sequitur contra communem sententiam, et datam numer. 451, conclusionem.

455. *Nequit Papa dispensare in jure divino.* — Quæritur II. In quibus possit summus Pontifex dispensare? Resp. I. Nequit Papa dispensare in jure divino, quamvis illud interpretari possit, atque declarare, quod id ob certas circumstantias hic et nunc per seipsum obligare cesset. Ita omnes catholici. Et quidem prima pars, præter concordem doctorum sententiam, patet ex eo, « quia lex superioris per inferiorem tolli non potest. » Clem. *Ne Romani, de Elect.*: atqui Romanus pontifex est inferior Deo, Christianique dumtaxat in terris vicarius. Unde, sicut vicarius non potest omnia, quæ principalis (puta illa, quæ speciali nota digna sunt, et mandatum expressum requirunt, cap. III. *de Offic. vicarii*, in 6. et alibi), ita neque summus Pontifex, Christi in terris vicarius, potest omnia, quæ Christus, v. g. sacramenta nova instituere, abrogare antiqua, dispensare in vinculo matrimonii consummati, bigamiam simultaneam concedere, et hujusmodi, quæ pertinent in Christo « ad potestatem excellentiæ » (ut vocat theologi), nulli hominum, ne quidem summo Pontifici, communicatam.

456. *Imo tenetur illud usque ad animam, et sanguinem confirmare.* — Quinimo Papa non solum in semetipso tenetur legem divinam observare, sed eandem pro suo pastoralis munere debet etiam usque ad animam et sanguinem confirmare, can. *Sunt quidam*, 25. q. 1. ibi: « Ubi vero aperte Dominus, vel ejus apostoli, vel eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus pontifex dare, sed potius quod prædicatum est, usque ad animam et sanguinem confirmare debet. » Concordat can. *Contra statuta*, eod. 25, q. 1.

457. *Potest tamen id interpretari.* — Altera pars probatur ex diversis sacræ Scripturæ locis, ut *Deuter.* cap. XVII, 8, 9 et 10. et *Matth.* XVI, 18 et 19, et *Joan.* XXI, 16 et 17, ubi Christus trina vice generalem pascendi oves suas curam divo Petro, atque in eo suis legitimis successoribus, demandavit. Quia igitur recta Ecclesiæ universalis gubernatio hanc in summo Pontifice, veluti Christi in terris vicario, exigit potestatem, quod is in casibus dubiis jus divinum interpretari, ovesque sibi concreditas per viam justitiæ ac veritatis, absque erroris periculo deducere et salubria pascua a noxiis discernere valeat; omnino confitendum est talem potestatem summo pontificio a Christo concessam fuisse. Alioquin ipse non fuisset bonus paterfamili-

has (quod absit cogitare) si gregem suum dimisisset sine pastore, qui ex causa posset omnibus consulere; prout inter alios argumentatur Abbas c. *Proposuit*, num. 12, *de Concess. præbend.* Accedit, quod etiam Judæi, quondam concurrentibus certis circumstantiis, interpretati sint præceptum divinum de Sabbato custodiendo non tam stricte obligare, quin eis liceat pugnare, si ipsis die Sabbati pugna ab hostibus inferatur; ut legitur I *Machab.* cap. II, 41.

458. *Ac secundum plenitudinem potestatis in omni jure ecclesiastico dispensare.* — Resp. II. Potest Romanus pontifex pro utilitate Ecclesiæ, ac ovium sibi concreditarum salute, dispensare in omni jure ecclesiastico. Ita omnes doctores; et patet ex c. *Proposuit*, 4, *de Concess. præbend.* ubi Pontifex inquit: « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare. »

459. *Papæ potestas duplex, ordinaria, absoluta, quæ?* — Et notanter additur, « secundum plenitudinem potestatis. » Duplex siquidem ex parte summi Pontificis potestati notari potestas: una dicitur « *Potestas ordinaria*, » quæ scilicet sequitur ordinem juris positivi, et regulatur ad limites dispositionis illius. « Altera absoluta, » sive suprema (quæ et *Plenitudo potestatis* appellatur) secundum quam Papa est super omne jus positivum humanum. Divus Thomas, *Quodlib.* 4. art. 13; Geminianus, consil. 53. circa princip.; Fagnanus c. *Ex parte*, n. 4, *de Convers. conjugat.* Et hæc potestas clavium (videlicet absoluta) est talis, et tanta, quod non recipiat interpretationem restrictivam, ut loquitur Baldus c. *Nisi cum pridem*, n. 6, *de Renuntiat.* citans Innocentium.

460. *An Papa possit dispensare circa canones Apostolorum?* — Unde allata conclusio extenditur etiam ad canones Apostolorum; illos videlicet, quos apostoli tanquam Ecclesiæ rectores condiderunt, ut puta de jejuniis quadragesimali, observatione dominicæ, non ordinandis bigamis, ac de subeundis pœnis per canones Apostolorum in reos certorum criminum sancitis, et hujusmodi; prout desumitur ex can. *Presbyt.*, dist. 82, juncta Glossa ibid. § *Apostolorum*. Non tamen potest Papa dispensare in illis canonibus apostolicis, quos Apostoli non tanquam Ecclesiæ prælati primum condiderunt, sed jam a Christo auctore acceptos, veluti ministri Ecclesiæ promulgarunt, atque observandos tradiderunt: ut puta de baptismo parvulorum, de confirmandis baptizatis, de indissolubili

vinculo matrimonii consummati, ac hujusmodi. Suarez, lib. VI, *de Legib.* cap. XIV, 2; Azorius, part. I, lib. V, cap. XV, q. 4; Layman, lib. I, tract. IV, cap. XXII, num. 3, et alii.

461. *Potestas dispensandi data est in ædificationem, et in destructionem. Nefas est quid sinistri de summa Sede suspicari.* — Additur notanter n. 458. « pro utilitate Ecclesiæ; » etc. Nam summo Pontifici, sicut et aliis Ecclesiæ prælati, potestas dispensandi data est a Domino in ædificationem, et non in destructionem, » ut loquitur Apostolus, II *Corinth.* X, 8 et XIII, 10. Ac proinde, licet Papa quidpiam posset facere, non tamen decet eum semper uti plenitudine potestatis. Hostiensis in c. *Super eo*, n. 4. et ibi Fagnanus, n. 18. *de Bigamis non ordinand.* Sed præ oculis habere oportet utilitatem Ecclesiæ, oviumque concreditarum salutem, ne si secus accidat, non tam dispensatio, quam dissipatio dici mereatur. Quanquam nefas sit, quidpiam sinistri temere suspicari de summa Sede, quæ a nemine judicatur, et de cujus judicio disputare, et judicare non licet, can. *Si quis suadente*, § *Qui autem*, et can. *Nemini*, 17. q. 4. Et cujus statutum sic reputari debet, ac si de ore Dei, vel beati Petri esset prolatum, can. *Si omnes*, dist. 19. et c. *Inter corporalia. de Translat. episcop.* juncta Glossa § *Divina*, et doctoribus ibidem.

462. *Utrum possit Papa dispensare contra universale statutum Ecclesiæ?* — Atque ex his sequitur quod Papa non possit dispensare contra universalem statum Ecclesiæ, arg. can. *Et si illa*, 1. q. 7. ac notat Glossa in c. *Proposuit*, § *Dispensare. de Concess. præbend.* Quod ipsum tamen recte Abbas Panormit. ibid. n. 14, intelligit, quando ex tali dispensatione, seu immutatione, decoloraretur status Ecclesiæ: tunc enim nequit fieri talis dispensatio, seu immutatio, juxta cit. can. *Et si illa*, 1. q. 7. et notavit Archidiaconus can. *Sunt quidam*, 25. q. 1. Si autem exinde non decoloratur status Ecclesiæ, ut puta quia subest causa mutandi, vel dispensandi, tunc credendum est, atque indubitate concedendum, quod possit, maxime circa unum casum, vel duos: sic enim, juxta c. *Non debet. de Consang. et affinit.* Pontifex in concilio generali immutavit statum Ecclesiæ, relaxando prohibitionem matrimonii olim in quinto, sexto, et septimo gradu consanguinitatis, et affinitatis existentem; atque statuendo, quod dicta prohibitio conjugii deinceps quartum consanguinitatis, et affinitatis

gradum non excedat. Cui similia novissime in concilio Tridentino statuta sunt circa impedimentum justitiæ publicæ honestatis, cognitionis spiritualis, et nonnulla alia.

463. *Episcopus nequit regulariter dispensare contra sacros canones, constitutiones apostolicas, et decreta conciliorum generalium.* — Quæritur III. Utrum episcopus possit dispensare quoad sacros canones, constitutiones apostolicas, et decreta conciliorum generalium? Resp. I. Regulariter loquendo non potest episcopus in talibus dispensare, nisi sint casus sibi a jure concessi. Ita Glossa in c. *Dilectus*, §. *Permissa*, et ibi Abbas, num. 6. *de Temporib. ordinat.*; Rebuffus in *Praxi benefic.* §. *De dispensatione ad plura beneficia*, numer. 26, et seqq.; Sperellus, decis. 110. *Fori ecclesiast.* numer. 26, et seqq. cum aliis.

464. *Idque multipliciter probatur.* — Et quidem prior pars constat ex can. *Nulli fas sit*, 25, q. 1, et can. *Institutionis*, 25, q. 2, et c. *Quod super his*, 9, *de Majorit. et obed.* cum similibus. Siquidem episcopi sunt canonum magistri, et custodes, can. *Cum quibus*, 24, q. 3. Imo non solum canones custodire debent, sed etiam ipsis expresse præcipitur, ut eos ad unguem observent, can. *Igitur*, et can. *Institutionis*, 25, q. 2. Hinc cit. cap. *Dilectus. de Temp. ordinat.* graviter reprehenditur episcopus, qui cuipiam eodem die contulit duos sacros ordines, licet de mandato archiepiscopi sui id fecerit: « cum illi (inquit Pontifex) hujusmodi dispensatio a canone minime sit permissa. » Insuper in cap. penult. et ult. *de Filiis presbyt.* irritæ declarantur dispensationes contra juris dispositionem factæ per aliquem Papæ inferiorum. Similiter, quod contra decreta conciliorum generalium episcopus dispensare non possit, docet Glossa communiter recepta in c. *Cum dilectus*, §. *Etate*, 32, *de Elect.* Accedit ratio, quia dispensatio est actus jurisdictionis: atqui episcopus, veluti inferior, non habet jurisdictionem respectu summi Pontificis, aut conciliorum generalium, vel suarum constitutionum. Unde in præsentiarum quoque locum sibi vindicat illud generaliter pronuntiatum in Clem. *Ne Romani*, §. 1, *de Election.* ibi: « Lex superioris per inferiorem tolli non potest: » sive abrogando, vel contrarium statuendo, sive etiam dispensando, nisi eidem concedatur. Concordant dicta superius §. IV. numer. 75, et seqq. ubi solvuntur etiam nonnullæ instantiæ.

465. *Potest episcopus absolvere ab excommu-*

nicatione, ubi hoc ei non reperitur prohibitum; non autem dispensare; et cur? — Dices. Potest episcopus absolvere ab excommunicatione, et aliis casibus, ubicumque ei hoc non reperitur prohibitum, c. *Nuper*, 29, *de Sentent. excommun.* ibi: « Quia tamen conditor canonis ejus (excommunicationis ipso jure impositæ) absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi: » ergo etiam dispensare poterit episcopus, ubi id sibi non reperitur expresse prohibitum. Resp. negando consequentiam: nam absolutio fit secundum jus, quod non vult, ut quis in excommunicatione, vel peccato perseveret, aut decedat; dispensatio contra fit contra jus, estque vulnus juris: et hinc merito illa facilius conceditur, quam ista. Unde regula sit, quod absolutio a casibus censetur permissa episcopis, ubicumque non reperitur prohibita: dispensatio autem, in sacris canonibus intelligitur prohibita, nisi ubi eis reperitur concessa, vel expresse, vel saltem tacite. Et hoc convincunt textus juris hinc inde allegati.

466. *Dantur nihilominus casus in quibus possunt episcopi dispensare circa sacros canones, etc.* — Altera pars probatur inductione, enumerando casus illos, in quibus ex concessione juris, aut rationabiliter præsumpta licentia summi Pontificis, potest episcopus dispensare circa sacros canones, constitutiones apostolicas, et decreta generalium conciliorum. Et quidem ex his casus:

467. *I. Quando id expresse ipsis conceditur, vel saltem in canone simpliciter dicitur, posse dispensari.* — Primus est, quando vel expresse in jure conceditur episcopis potestas dispensandi; ut fit, cap. penult. *de Election.* et c. *At si clerici* §. fin. *de Judiciis.* et cap. 1, *de Filiis presbyt.* in 6, et c. *Cum eo. de Elect.* in 6, et alibi, juncto concilio Trident. sess. 24, cap. VI, *de Reformat.*, et tunc res caret omni difficultate. Vel saltem in canone simpliciter dicitur, posse dispensari, nec Papa sibi, aut alii personæ reservat dispensationem: tunc enim episcopus posse dispensare, quamvis hoc ipsi expresse non fuerit concessum, recte docet Glossa in c. *Quisquis*, §. *Fiat. De Elect.* et Glossa fin. c. *In quibusdam.* et ibi Abbas n. 5, *de Pœnis.* et rursus Abbas, in c. *Et si unanimiter*, n. 10, *de Postulat. prælat.* dicens, quod episcopi semper dispensant, ubicumque a jure permittitur dispensatio in genere, licet specificè non permittatur episcopis. Felinus. c. *At si clerici.* §. *de Adul-*

teris, n. 1, *de Judic.*; Sanchez, lib. VIII *de Matrim.* disp. 5, n. 1, citans plurimos alios; et loquendo de canone pontificio, Barbosa, part. II. *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 33, n. 22, multiplici doctorum auctoritate probans, quod ubi canon impersonaliter dispensandi facultatem tribuit, dicendo v. g. « Possit dispensari, nisi cum eo misericorditer dispensatum fuerit, » etc., non adjiciendo Sedem apostolicam, vel summum Pontificem; tunc tacite, seu virtualiter concessa censeatur potestas dispensandi prælati inferioribus, et episcopis: prout in specie accidit c. *Postulatis*, 7, juncta Glossa §. *Dispensatum. de Cleric. excomm. minist.* et cap. II. *De eo, qui cognovit consanguin.* Accedit ratio, quia hujusmodi verba, potestatem dispensandi impersonaliter concedentia debent aliquid operari, c. *Si Papa privileg.* in 6, cum similibus; ergo cum legislator, sive summus Pontifex, non censeatur velle declarare, quod ipse possit dispensare (hoc enim, veluti aliunde clarum, non nisi superflue diceretur) consequens est verba illa ad inferiores prælatos referri, sicque etiam episcopis tacite saltem, ac virtualiter, dispensandi facultatem impartiri. Accedit, quod potestas dispensandi ex se sit favorabilis, et ample interpretanda, ut dictum supra n. 452.

468. *Dummodo ex contextu verborum, stylo, vel consuetudine, aliud non appareat.* — Fallit hoc in casibus illis, quando ex contextu verborum, stylo curiæ, vel consuetudine aliud apparet: prout fit in concilio Tridentino, sess. 24, cap. V. *de Reformat. matrim.* ubi, quamvis concilium impersonaliter concedat facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii, quando hoc bona fide, atque adhibitis solemnitatibus contractum fuit; nihilominus hæc concessio solum Papam, non autem inferiores prælatos, sive episcopos concernit. Nam stylus curiæ Romanæ, et consuetudo generalis abunde hoc declarat, simulque ex antecedentibus et consequentibus verbis satis apparet totum illum contextum de summo Pontifice loqui. Sanchez, lib. VIII *de Matrim.* disp., 6, num. 19, et alii.

469. *An episcopus possit dispensare in decretis concilii generalis, quæ impersonaliter concedunt facultatem dispensandi?* — Fatendum tamen est non deesse doctores, qui volunt proxime datam doctrinam non procedere in decretis concilii generalis neque in his posse episcopum, vel alium Papæ inferiorum dispensare, nisi claris verbis id ipsi committa-

tur; ut tenet Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 33, num. 24, cum nullis aliis; juxta quorum sententiam patet, quod proxime allata instantia ex concilio Tridentino nullatenus urgeat. Oppositum nihilominus, videlicet concessa impersonaliter potestate dispensandi, posse in talibus decretis conciliaribus episcopum dispensare, tenet Sanchez, loc. cit. disp. 5, n. 5, allegans alios doctores, et solvens contraria: idque inter alia desumitur ex c. *Quisquis* 43, *de Election.* et c. *In quibusdam, de Pœnis*, qui sunt canones concilii generalis, ut liquet ex superscriptione: et tamen juxta Glossam et doctores satis communiter, potest episcopus in ipsis dispensare.

470. *II. Ob causam magnæ necessitatis, vel evidentis utilitatis, sique periculum in mora nec ad Papam potest recurrere.* — Secundus casus, in quo episcopus potest dispensare in constitutionibus apostolicis, et decretis concilii generalis, est causa magnæ necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergens, sicque periculum in mora, nec facile ad summum Pontificem recurri possit. Ita Abbas c. *At si clerici*, §. *De adulteris*, n. 9, et ibi Felinus, n. 3, *de Judiciis*; Rebuffus, cit. §. *De dispensat. ad plura beneficia*, n. 30; Sanchez, lib. II, *de Matrim.* disp., 40, n. 3, citans alios; Barbosa lib. I, *de Juris Eccles. univ.*, cap. XI, n. 194; Pirhing, tit. *de Offic. Jud. ord.* n. 87; Castro Palao, part. I, tract. III, disp. 6, punct. 5, n. 7; Diana, part. VIII, tract. III, resol. 12, et alii passim. Ratio est, quia in tali casu ex rationabiliter præsumpta voluntate summi Pontificis, censetur episcopus habere commissam sibi potestatem dispensandi; hoc etenim videtur exigere pastorale officium episcoporum, ne alioquin oves ipsi concrederent necessariis auxiliis. Accedit textus optimus in can. *Tali*, 1, q. 7, et c. *Exposuisti*, 33, *de Præbend.* ubi in casu, quo urget evidens necessitas, vel utilitas exigit, expresse, tribuitur episcopo facultas dispensandi contra decreta quorundam canonum: idem ergo dicendum de aliis similibus.

471. *III. Vi consuetudinis legitime præscriptæ. Quæ tribuit jurisdictionem.* — Tertius casus accedit vi consuetudinis legitime præscriptæ. Quia enim consuetudo legitime præscripta tribuit jurisdictionem, c. *Duo simul. de Offic. ordin.* et c. *Cum contingat*, 43, juncta Glossa fin. et Doctores ibid. *de Foro compet.* Hinc ista semel obtenta redditur dispensatio valida,